

Aristoteles, ut suae illi imaginariae demonstrationi locum faceret, divisionem irrisit, primo Analytico capite 32:<sup>53</sup> *Quod vero divisio per genera parva quaedam particula est, dictae methodi facile est videre. Est enim divisio veluti debilis syllogismus, quod enim oportet ostendere, petit. Syllogizat vero semper aliquid superiorum, primum vero hoc ipsum latuit omnes ea utentes, et suadere conabantur, tamquam posset fieri de substantia demonstratio et ipsius quid est. Itaque neque quod potest syllogizare dividens, intellexerunt, neque quod hic posset. Quibus verbis tria reprehendit in re. Quod divisio exigua pars syllogisticae methodi sit, quod debilis syllogismus, quia principium petat et quod falso putarunt posse per divisionem essentiam demonstrari. Quam hoc sit a suo proprio sensu detortum, patebit cum Plato nec syllogismo eam nec demonstrationi aut comparaverit aut subdiderit. Quare reprehensiones hae futiles et male tortae cadunt. At Analytico 4. capite 5. eadem reprehensione usus est, quod divisio non syllogizet. Et praeterea quod neque ut inductio demonstret:<sup>54</sup> *Sed enim neque per divisiones via syllogizat.*<sup>55</sup> *Sed neque ut inducens demonstrat.**

Quid tum concedet omnia Plato, an forte ob hoc inutilis est divisio? Nequaquam ait Aristoteles:<sup>56</sup> *Sed si alio modo cognoscere facit. Quia:*<sup>57</sup> *Neque enim inducens forte demonstrat, sed nihilominus ostendit aliquid.* Neque hoc solum, sed eandem utilitatem cum

<sup>53</sup> ὅτι δ' ἡ διὰ τῶν γενῶν διαίρεσις μικρόν τι μόριόν ἐστι τῆς εἰρημένης μεθόδου, ῥάδιον ἰδεῖν· ἐστὶ γὰρ ἡ διαίρεσις οἷον ἀσθενῆς συλλογισμός. ὁ μὲν γὰρ δεῖ δεῖξαι αἰτεῖται. συλλογίζεται δ' αἰεὶ τὶ τῶν ἄνωθεν. πρῶτον δ' αὐτὸ τοῦτο ἐλελήθει τοὺς χρωμένους αὐτῇ πάντα, καὶ πείθειν ἐπεχείρουν ὡς ὄντος δυνατοῦ περὶ οὐσίας ἀποδείξιν γενέσθαι καὶ τοῦ τί ἐστίν. ὥστ' οὔτε ὅ τι ἐνδέχεται συλλογίσασθαι διαιρούμενοις [τὸν διαιρούμενον] συνίεσαν, οὔτε ὅτι οὕτως ἐνεδέχετο. [ARIST. A Pr. 46a.31 – 38]

<sup>54</sup> ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἡ διὰ τῶν διαιρέσεων ὁδὸς συλλογίζεται. [ARIST. A Po. 91b.12 – 13]

<sup>55</sup> ἀλλ' ὥσπερ οὐδ' ὁ ἐπάγων ἀποδείκνυσιν. [ARIST. A Po. 91b.15]

<sup>56</sup> ἀλλ' εἴπερ, ἄλλον τρόπον γνωρίζειν ποιεῖ. [ARIST. A Po. 91b.33 – 34]

<sup>57</sup> οὐδὲ [οὔτε] γὰρ ὁ ἐπάγων ἴσως ἀποδείκνυσιν, ἀλλ' ὁμως δηλοῖ τι. [ARIST. A Po. 91b.34 – 35]